

1769 74 2 1/2

DE
VERA INDOLE
HISTORIAE LITTERARIAE
DISSERTATIO.


QVAM
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO

A. D. III. IANVAR. MDCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS OPITZ
SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS CVRTIANIS.



V I R O

SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO

M. GOTTLOB KAHL

ECCLESIARVM ET SCHOLARVM, QVAE COLLIGVNTVR
IN CIRCVLO HIRSCHBERGENSI ET LEOBERGENSI, INSPECTORI
LONGE GRAVISSIMO, SENIORI ET AD AED. C. APVD
HIRSCHBERGENSES PASTORI PRIMARIO

NEC NON

V I R O

PLVRIMVM VENERANDO, AMPLISSIMO
DOCTISSIMO

IOANNI TOBIAE
VOLCKMAR

AD. D. ELISABETH. APVD VRATISLAVIENSES
DIACONO VIGILANTISSIMO



VIRIS
DE ECCLESIA NOSTRA
MERITISSIMIS
AVTORIBVS ET PATRONIS

SVIS

AETERNVM DEVENERANDIS
HANC QVALEM CVNQVE DISSERTATIONEM

SVMMA ANIMI PIETATE

D. D. D.

A V C T O R.

piusque venerandi copia facta est. At vero TV, *Antistes Vratislaviensium Grauiissime*, cuius vel solo nomine recreor, non minorem grato animo materiam praebes. Nam ex quo TIBI innotescere mihi obtigit, nunquam rationibus meis prospicere desiisti, nec hodie desinis. De quibus longe plura dicere possem, nisi fatius ducerem, grato animo et tacite TVAM in me egregiam voluntatem venerari. Interim tamen audeo VOBIS, VIRI SVMME VENERABILES, primum ingenii mei qualiscunque specimen tradere, tanquam pignus animi pii et grati. Illud vt lubenter accipiatis non solum vos oro, sed vos quoque accepturos esse spero: nam hoc humanitas VESTRA, cuique obuia et cum comitate prorsus inlolita coniuncta, pollicetur. Seruet vos Deus Opt. Max. patriamque quam diutissime VESTRA virtute, probitate, semperque efficaci excubantique pro sacrorum puritate ciuiumque salute cura et sapientia frui iubeat.

NOMINVM VESTRORVM VENERABILIVM

cultor obseruantissimus

CHRIST. OPITZ.





DE
VERA INDOLE
HISTORIAE LITTERARIAE.

§. I.

Quamuis diu multumque a viris doctis litterarum historia, diligenter scripta et accurate, desiderata fit, multique veteris et recentioris aetatis homines ad hoc se studium contulerint, omnemque dederint operam, ut vel spem, quam dudum viri docti aluerant, implerent, vel monumentum historiae, perenne forsan, ut putabant, exigerent; numquam tamen id, quod volebant, praestiterunt, immo a proposito fine aut plane aberrarunt, nec rectam rerum explicandarum viam iniuerunt, aut,

A

si non

si non omnino expectationem omnem fefellisse viderentur, tamen multa reliquerunt, quae dictis vel adderentur, vel auferrentur. Plurimis enim idem, quod iis, qui philosophiae et artium *) historiam scribere aggressi sunt, euenit. Illi dum, se originem et diuersa fata doctrinarum et artium persecuturos esse, polliciti erant, nihil aliud nobis exhibuere, quam hominum doctorum cuiusuis saeculi artificumque celeberrimorum vitas, additis quibusdam philosophorum sententiis, et inuentionibus artificum clarissimis, de vicissitudinibus artium, earum causis, diuersa diuersis temporibus conditione, incrementis et cuiusque seculi ingenio proprio ne verbum quidem dixerunt. Quo facto lepide sibi persuadebant, se omnia egregie effecisse, munerique, quod sponte subierant, plane respondisse. Nec aliter litterarum historiam scriptores tractarunt. Magna moliebantur volumina: omnia colligebant: tandem vero quid exhibuerunt aliud, quam indices eorum, qui aliquam famam consecuti sunt, vitas doctorum virorum easque minutiis refertas et rerum inutilium plenas? Quae si recta esset contexendae historiae litterariae ratio, nihil sane minus graue, minus molestum, nec contra facilius quidquam, hoc historiae studio. Sed aliter longe se res habet. Verum quidem est, nullam alicuius artis aut scientiae historiam claram, perspicuam et planam esse praeter eam, quae nomina doctorum virorum, qui vel inuenerint artem et scientiam vel studiis et laboribus suis nouis easdem locupletarint accessionibus contineat et recenset. Sed non omnis historiae litterariae vitarum
 vel

*) v. Winkelmanns Vorred. Geschichte d. Kunst.

vel accuratissimis narrationibus continetur atque absoluitur. Ostendemus enim deinde, nil ex vitis doctorum hominum ad historiam litterarum pertinere, nisi quod eorundem ingenia, doctrinam, laudes, merita ostendat. Scire volumus omnino, cui haec illaue artium et doctrinarum pars multum debeat, cuius ope perducta sit ad illud fastigium, in quo eam contemplamur: quo tempore idem vixerit, quid egerit, quibusque subsidiis sustentatus fuerit. Hac vero scientia quis dicat omnem historiae litterariae cognitionem absolui? Immo vitas, sententias, scriptaque doctorum virorum tanquam materiem consideramus, ex qua pulchrum aedificium extruatur, quod quale sit, paullo post intelligetur.

§. II.

Quae de diuersa scribendae historiae litterarum ratione a nobis dici possent, ea praetermittimus. Sunt enim nota. Hoc vnicum tantum addimus, ne cuiquam rem alicuius maioris momenti nos omis-
sisse videamur. In vniuersum nos de historia litterarum sententiam nostram qualemcunque dicamus, non descensuri ad historiam aut populorum certorum aut doctrinarum. Facile enim eadem, quae praecipiemus de vniuersa, historia illius partibus accommodari poterunt. Quare totum historiae ambitum complexi sequemur eam rationem, quam iniit *Floegelius* V. C. in libello, qui inscribitur *historia ingenii humani*, doctissimo et elegantissimo. Summa vero cogitationum nostrarum huc redit: historiae litterarum scriptor ex sententia nostra doctrinarum, et, si latius exspatiatur, ar-

tium quoque originem, indagabit, fontesque aperire studebit: deinde fata earundem cum secunda tum aduersa, eorumque causas et rationes scrutabitur: quomodo caput extulerit haec vel illa disciplina, eiusdem florem et incrementa quae causa impediuerit, narrabit: nullius seculi, nullius aetatis historiam praetermitter, sed quam quoque tempore fortunam habuerit ars, commemorabit: hinc non omittet eos, quorum ingeniis incrementa sua debeat eadem: denique quid nostris temporibus relictum sit, quousque sint producti doctrinae fines, docebit.

§. III.

Quod ad originem doctrinarum attinet, monebimus statim, laborem adgredi maximis difficultatibus implicitum, illam qui scrutari audeat. Hic enim quaeritur, quis fuerit primus artis auctor: illamne casu an meditando et experiundo inuenerit. Facile quidem dictu est, esse recurrendum ad veteres scriptores, e quibus quasi fontibus, ut omnis antiquioris temporis historia est haurienda, sic quoque ex illis deriuanda esse, quae ad inueniendam litterarum originem pertineant, monent. Verum quidem hoc est, nec ab ullo negatum: qui autem historiarum est peritus, atque his in rebus versatus est, sciet, quam parum saepius scriptores veteres nos iuuent, quantum illis desit, quantum desiderari possit, quantum pertineat ad cognitionem accuratam et plenam inuentionum colligendam. Quamuis enim omnia ex omnibus contuleris, saepius eadem consideraueris, examinaueris, inter se comparaueris, videbis tamen ea, quae

quae habes, non sufficere ad eliciendam sententiam probabilem. Atque haec quidem obscuritas tribus imprimis e causis orta esse videtur. Prima multarum artium aut doctrinarum initia in ea tempora cadunt, quibus prisca simplicitas aut non poterat, aut non volebat eadem litteris consignare. Alia inuenta esse videntur, cum vix ac ne vix quidem scribendi usus vigeret: alia ea tempestate reperta, qua de libris scribendis homines non cogitabant. Deinde multarum rerum inuentio non tam meditationi ingeniique subtilitati, quam casui et fortunae debetur*). Semel aliquo quasi lumine procul conspecto, sensim accedimus, atque a parvis initiis paullatim ad maiora progredimur. Hinc vera inuentionis ratio nec latius vulgatur, et obliuiscitur facile, nisi ipse, id quod raro accidit, auctor litteris consignet iuuentae rei occasionem. Denique quam pauca e multis veterum scripta restant! Plurima pars interiiit, iniuria hominum temporumque nobis erepta. Quis non videt, multas simul extinctas fuisse narrationes de auctoribus rerum primis, de artium originibus? Interim libere fatebimur, minus nos aegre laturos esse iacturam narrationum de rerum originibus, si modo nobis fortuna seruasset libros, a praeclaris ingenis, iam inuentis, auctis, politis artibus, scriptos. In hac itaque rerum difficultate, historicus omnia adferet, quae collegit, quam fouet sententiam, proferet, rationes, quibus ductus ita sentiat, indicabit,

A 3

atque,

*) vid. Celebr. *Kaestneri* librum: Einige Vorlesungen in der Koenigl. deutsch. Gesellschaft zu Goettingen, pag. 121. sqq. Ueber den Antheil des Zufalls an den Erfindungen.

atque, si, quod sequatur tuto, desit, rem in dubio relinquet. Quis quaeso limatioris ingenii rerum aestimator hoc vituperet? in primis si scriptor ipse non ignorantiae morbo laboret, sed eruditione, qua opus est, instructus sit. Est et honestae professioni ignorantiae et ingenuae veniae locus, in rerum a nostra memoria remotissimarum summa obscuritate. Historicus igitur, quod facile patet, varios in errores delabi potest, a quibus sibi diligenter cauebit. Praecipue autem sibi aliisque male consulat, si superstitioni et narrationibus fictis, quae tam diu inter homines auctoritatem suam obtinuerunt, addiderit fidem. Fuerunt enim non pauci, qui litterarum originem a primis mundi temporibus repeterent, et omnia Adamo et Patribus, qui ante et post diluuium vixerunt, tribuerent. Acriter itaque ingenio praeditus sit scriptor, ut falsas narratiunculas a veritate distinguat, et discrimen, quod intercedit verum et probabile, obseruet. Illud quidem, quod dedimus, exemplum non multum habebit difficultatis, sed erunt plura, ut saepius a viris doctis obseruatum, ubi non aequae facilis et expeditus labor erit: immo quaedam, quo utiliora sunt, eo minus patent, eoque magis sunt abdita. Quae et similia, a quibus cauendum est, ingenio scriptoris et prudentiae circumspectae sunt relinquenda. Iam vero originibus explicitis maius opus oritur, maior labor obicitur. Vicissitudines doctrinae exponendae, fata artium commemoranda sunt. Vbi se campus diffundit ante oculos historici, qui aequae late patet et aequae varius est, ac tota rerum natura. Quare facile intelligitur, arduum et graue esse munus, quod subit scriptor ad hanc partem

partem delatus. Scire enim volumus, quo modo, quibusue vel promotae caussis vel impeditae fuerint litterae earumque studia. Caussas itaque explicare, et cuiuscunque mutationis rationes ostendere par est. Qui quidem locus sane copiosus est et illustris, nec a quoquam exhaustus plane, nec a nobis exhaustiendus. Interim nouimus, *Huartium*, *Heluetium*, *Du Bosium*, *Montesquieum*, *Floegelium* liberati manu semina iam quaedam sparsisse, egregiosque, quos ediderunt libros, variis distinxisse obseruationibus, quae huc pertinent. Nec enim ingenii humani indolem, animique vires nec, quam habet rerum publicarum conditio, vim neglexerunt. Horum praestantissimorum virorum vestigiis nos quoque infistemus, et de caussis, inuentione, maioribus minoribusque litterarum incrementis exponemus.

§. III.

Quam ingenio et scriptis merito illustris et posteris quoque charus *Montesquius* sententiam de caussis legum protulerit ingeniose defenderitque, norunt omnes. Repetiit enim eam a coeli regionisque ingenio, nec, vt libere fateamur, veritatis specie illius opinio caret. Eandem in litterarum caussis explicandis viam ingressi sunt *Du Bosius*, *Floegelius* et, cuius obitum nunquam deplorare desinet Germania, *Winkelmanus*. Certe si consideremus nobiscum, situm alicuius regionis alium artes quasdam quasi suadere, alium quasdam impedire, populos, vt exemplo vtamur, maritimos, ipso situ ad nauigationes, ideoque ad artes,

cum

cum ad aedificandas naues tum ad feliciter peragendas nauigationes, necessarias exercendas inuitari: si videmus, quasdam regiones offerre, quibus artes indigent, vt marmora, colores, alia, ideoque magis artibus fauere aliis, vbi eadem desunt: si ea, quibus homines indigent, pro coeli ingenio diuersa esse conspiciamus; hinc varias curas, diuersam rerum inueniendarum solertiam, immo diuersam educandorum liberorum rationem oriri: si denique caloris frigorisque vim, quae se in corporibus non solum nostris, sed animis quoque exferit, cogitamus, quidni assentiamur iis, qui coeli temperiem regionisque situm non negligi debere existimant ab iis, qui causas inuentarum et auctarum artium indagare cupiant? Nullo argumento hoc clarius constat, quam diuerso rei statuariae et pictoriae habitu apud Aegyptios et Graecos, a *Winkelmanno* obseruato. Poteratne tam pulchras Graecus artifex effigies fingere, nisi natura ipsa pulcherrima vbique exempla ipsi obiecisset? poteratne pictor talia opera, qualia veteres commemorant, efficere, nisi in ea terra, vbi omnia lateitiae et iucunditatis plena essent? Arabum et Persarum carmina nonne redolent quasi solis, quem iidem experiuntur, calorem? Illa figurarum audacia certe non cadit in frigidum coelum, non placere, immo vix capi potest ab iis, qui frigidioribus in terris vitam agunt. Nempe illa maior minusue caloris vis ingenium quoque magis minusue accendit, mouet, abripit. Denique quis neget, certas regiones abundare aliis magis iis rebus, quae hilaritatem alant, quae iucunda specie artificum et poetarum ingenia augeant, quae occasionem quasi

quasi praebeant et materiem pulcherrimarum descriptionum. Virgilius certe et Horatius iis locis, quae maxime admiramur, saepe nil fecerunt aliud, quam ut, quae ante oculos haberent, pingerent. Non sola ingenii vi effinxerunt pulchras regionum picturas: quae natura parauerat, quae quotidie ostendebat, ea exprimebant, ut obseruauit passim *Addisonius* in itineribus per Italiam factis. Idem quidni credamus fecisse Graecos? Quae cum ita sint, quibus longe plura, si hoc agere vellemus, addi possent, lubenter assentimur exemplis tot confirmatae sententiae de coeli regionisque vi in ingeniis formandis, artibus iuuandis.

§. V.

Multum quoque litteris cum obest, tum prodest, religionis conditio, cuius ratio ideo habenda est in litterarum historia explicanda. Superstitionis vis ingenia hominum deprimit, ridiculasque opiniones gignit de rerum natura, cuius scientia nulla fere alia re magis impeditur. Vbi honesta sentiendi libertas saeua legum acerbitate constringitur, ibi nec se humo tollere audet hominum animus, nec longius, quam maiores, in litteris progreditur. Nocet inprimis illa ingeniorum seruitus liberaliori philosophiae studio, quo cum nulla litterarum pars carere queat, nulla quoque naeuis suis caret, nisi philosophiae luce collustretur. Nullo potest hoc documento clarius intelligi, quam si comparauerimus ea secula, quibus, verae religionis doctrina turpibus maculis et ineptis fabelis foedata, Romani episcopi auctoritas intolerabile ingenis huma-

B

nis

nis iugum imposuerat, cum felicioribus temporibus, quae diuinam Lutheri, asserentis libertatem humanam tyrannidemque animorum excutientis, constantiam et virtutem experta sunt. Quae istis seculis barbaries fuit! quae omnium rerum ignorantia! quid poterant litterae ab hominibus exspectare, quibus sententia de Antipodibus impia videbatur et flammis digna! Si, quam misera sit hodie apud Turcas litterarum facies, consideramus, causasque indagamus, a superstitione eas reperamus necesse est. Immo quasdam sententias, religionis doctrinae a populis quibusdam intextas, quibusdam artibus cum nocuisse, tum profuisse obseruamus. Id quod duobus exemplis illustrabimus. Aegyptii ab omni nouitate abhorrebant, legibus suis moniti, nec ab exemplis maiorum vlllo modo recedebant. Hinc artificibus Aegyptiis non licuit antiquissimam rationem deserere: hinc artium progressus impeditus. Porro dissecandorum corporum scientia iisdem impia videbatur et homicidii reus erat, qui cadauer dissecare auderet. Inde statuac Aegyptiorum exiguam Anatomiae cognitionem ostendunt, non solum quibusdam corporis partibus minus recte expressis, sed etiam ossibus parum indicatis *). Referenda sunt huc, quae vir quidam doctus **) non inepte obseruauit de diuersa pictorum ratione apud diuersos populos. In iis regionibus, quae pontificiam auctoritatem sequuntur, statuarii atque pictores non solum largissimis praemiis ornantur, sed, cum nil efficacius sit religione, nil inge-

*) v. Winkelmann. Geschichte der Kunst, p. 35. sequ.

**) v. Lettres de Mentor a un jeune Seigneur (Lond. 1764.) p. 265.

ingenium magis accendat laudibus, quotidie etiam vehementius inflammantur. Pictorum opera in templis proponuntur, cultui publico dedicantur, videntur quotidie a quam plurimis, laudantur, immo etiam aliis exemplum praebent praeclarae artis. Quae post restauratas artes a primis artificibus efficta fuerunt, sacri fuerunt argumenti opera, id quod Cimabui exemplo patet. Eae, de quibus loquimur, regiones, semper abundarunt magno pictorum et statuariorum numero. Contra aliis in prouinciis, vbi non eadem veneratio statuas et tabulas sequitur, nec eundem artificum numerum, nec parem ardorem deprehendimus. Sed de hac re satis. Vno exemplo monere volumus historiae litterariae studiosum, quae sit vis religionis in promouendis impediendisue incrementis artium.

§. VI.

In causis his locum etiam obtinent, status publicus, reipublicae forma, principum ingenium. Bellis quis nescit litterarum florem saepius tantum non extinctum fuisse? Iisdem contra aliae artes promotae fuerunt. Huc non solum mathefeos quaedam partes, quarum est vsus in bellis, pertinent, sed etiam Geographia, cuius studium expeditionibus in peregrinas regiones factis auctum, emendatumque fuit. Quid? quod liberaliorum artium doctrina ipsis bellis non parum debet. Romani certe non prius litterarum praeclara monumenta magni aestimare, immo ipsi perficere inceperunt, quam Graecia debellata.

*Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.*

B 2

Quid

Quid efficiat otium longum et beatum, quid summa rerum abundantia, non opus est, ut pluribus exponam. Quod ad reipublicae formam attinet, multa a viris doctis falso tradita sunt, aliis nimis fauentibus populari libertati, aliis vnus imperio quidlibet tribuentibus. Inter quos mediam viam ingressus est, historia omnis aetatis, vnica hac in re teste, considerata, qui omnes laudes, quas ei tribuere hoc loco animus erat, ipse reiecit, illustri *Klotzius* *). Cuius e disputatione haec tantummodo repetemus. „Vt, inquit „summam cogitationum faciam, equidem ita statuo, florem litterarum et artium minime proprium esse popularis aut optimi imperii, sed quocumque in regno, vbi bona et sapiens rerum administratio viget, laete enitere, atque hanc sententiam cum historiae exemplis, tum argumentis e rerum natura petitis confirmari: „quod vero litteras in libero tantum populo florere vulgo dicant, „id inde fieri, cum quoniam libertatis notionem non habeant rectam, nimisque illam angustis finibus circumscribant, tum quia „male formam imperii Romani post ereptam libertatem cum aliis regni comparent.“ Maxime igitur spectandum est ingenium eorum, apud quos summa rerum est. Nam horum consiliis et imperio cum res publica ordinatur, tum litterae aluntur opprimunturque. Quis nescit ea, quae Pericles in Graecia egit? Ille templa, theatra, aedes exstruere: ille ornamenta Athenarum eximia vndique colligere: celebrare ludos: artifices inuitare, et ornare. Hinc factum est, ut illius aetate illiusque auspiciis tum
res

*) Acta litteraria Vol. III. p. 156. sequ.

res statuaria et pictoria efflorescere inciperent *). Contra non poterat non alia esse artium et litterarum conditio nouissimis Neroniani imperii annis, *quum*, vt Plinius ait **), *omne studiorum genus paullo liberius et erectius periculosum seruitus fecisset*. Nolo dicere quidquam de Mediceorum liberalitate, de Leonis X. Francisci I. aliorumque in litteras fauore. Neque enim haec omnia cuiquam obscura esse possunt. Vnum addam. Saepius eueniunt in re publica, quae ad ciuilem historiam pertinent, sed, quae quoniam eruditionis quasdam partes attingunt, minime negligenda sunt ab historiae litterariae studioso. Clarius hoc quale sit intelliget, qui praestantissimam praefationem, quam *Io. Peter Ludewig* praefixit *Reliquiis Manuscriptorum omnis aevi diplomatum ac monumentorum*, perlegerit, studiique diplomatici historiam inde cognouerit. Illud enim nulla alia re creuit, quam litibus, ob maximi momenti causas ortis, certaminibusque, non tam litterariis, quam ciuilibus et forensibus. Non ignota est concertatio de diplomate Caroli M. inter ordines Frisiae orientalis et principem. Varia scripta peperit Archipraefulis Treuirensis, sibi ac ditioni Archipraefularus Treuirensis vindicare cupientis S. Maximini coenobium ordinis Benedictini, in Treuirorum suburbio situm, causa. Taceo bellum diplomaticum de Lindauensis sacri collegii potentatu ortum, gestumque a plurimis artis diplomaticae peritissimis viris et alia, quorum e libro laudato plenissima cognitio hauriri potest. Immo

B 3

quid

*) v. Plin. H. N. L. XXXVI, c. 5.

**) v. Epist. V. Libr. III.

quid aliud nobis immortale *Mabillonii* opus, quid *Iosephi Perestii*, *Fontanini*, *Ruinartii*, quid aliorum doctissimorum hominum libros dedit, rei que diplomaticae studium incendit, quam ars Iesuitarum et fraudulentum consilium, Benedictinis monachis insidias struendi, ideoque, *Papebrochio* et *Harduino* ducibus, omnem vetustatis fidem euertendi? Atque eiusmodi exempla, vbi, quae in re publica gesta sunt, artis aut doctrinae cuiusdam incrementa siue impediuerunt, siue auxerunt, plura possemus dare. Sed nolumus quidquam de causarum inuestigatione addere.

§. VII.

Quibus vero subsidiis litterarum flos augetur et conseruatur? ingenii et doctrina eruditorum hominum. Quae quibus documentis sese ostendunt? libris, quibus et suae aetatis et posteritatis commodis inferuiunt. Hinc nec doctorum hominum, nec librorum cognitio negligenda est historiae litterarum cum interpreti, tum studioso. Verum etiam hac parte quam plurimi errant, neglectis aliis, quae omnium nosse interest, prolatisque aliis, quorum notitia nemo aegre caret. Atque his naeuis insignis librorum numerus laborat, qui patrum aetate, qua maxime feruebat historiae litterariae studium, prodierunt. Nos sententiam nostram dicere, quam aliorum peccata indicare malumus. Primum opus est, vt, quo tempore, quaque in regione auctor vixerit, sciamus. Hinc enim, quod de illius meritis ferendum est, iudicium stabilitur et firmatur. Maiore laude dignus est, qui barbaro seculo recte de quam plurimis rebus sensit scripsitque, eo, qui eadem protulit tempore, iam litterarum luce collustrato.



strato. Maioris est fortitudinis animique virtutis veritatem defendere iis in terris, vbi illius decus ferre nequeunt principes, quam eo in regno, quod libertate sentiendi perfecta fruitur. Hinc etiam saepe intelligitur, cum cur egregia ingenia non longius progressa sint, tum quibus subsidiis alia instructa tanta admiratione dignas res effecerint. Tum quam educationem quisque, quos praeceptores nactus fuerit, exponetur. Namque hinc historiae ingenii illius magna saepe lux affunditur. Cur hanc vel illam sententiam amplexus sit aliquis et defenderit, quomodo ad hanc vel illam litterarum partem delatus fuerit, inde intelligitur. Porro quos ediderit quisque libros, dicendum erit, quid de iis iudicandum sit, quis iis locus tribuendus, quem attulerint litteris fructum. Denique discipuli cuiusque recensendi sunt, id est, qui illius sententias adoptauerint, seruauerint, disseminarint, immo accessibus quibusdam siue ornauerint, siue locupletauerint. Caetera ad hominis historiam pertinent, non ad historiam ingenii, ad picturam viri docti. Ea tantummodo e reliqua vita sunt seligenda, quae cum vita litterata aliqua coniunctione connexa sunt. Saepe enim ad defendendas quasdam opiniones, ad scribendos libros quosdam viri docti aliis rebus, quam solius ingenii ardore, compulsi sunt. Haec quemadmodum non omitti debent, ita, quod ad electionem attinet et dispositionem, admodum sunt difficilia. Caetera, quorum fama et splendor huius vitae terminis continentur, secure negliguntur.

§. VIII.

Vltima cura historiae litterariae studiosi in eo posita est, vt, quo ea cuius historiam scribenda aut addiscendam suscepit, doctrinarum

narum pars progressa sit, quousque illius fines prolati, obseruet et doceat. Hac enim ratione, quid adhuc praeclaris ingeniis relictum sit, ostendet, et, dum, quibus in argumentis studium suum feliciter ponere possint homines docti, ostendit, eosdem, ne operam perdant, atque in rebus iam satis explicitis desudent, monet. Nemo quidem hoc praestare poterit, nisi qui ipsius doctrinae fines complexus sit animo. Sed nec praeter hunc quisquam feliciter litterarum historiam enarrabit. Vnde etiam vanitas eorum apparet, qui maiorum aetate omnium, quae eruditionis nomine complectimur, litterarum historiam exponere audent. Praeclarum hoc in studio omnibus exemplum reliquit *Baco de Verulamio* in aureo opere *de dignitate et augmentis scientiarum*, quo non solum ea, quae iam inuenta et nota essent, sed omissa quoque et digna aliorum industria, complexus est. Cuius si quis exemplum sequutus fuerit, nae ille historiam litterarum effinget talem, quae non inani delectationi aut vanae ambitioni, doctorum hominum et plurimorum librorum nomina amanti, inferuiat, sed quae sapientiam instillet, eruditionis fines proferat et ingenia alat atque acuat.

Haec nobis de historiae litterariae indole in mentem venerunt. Exposuimus omnia breuiter et digito quasi ostendimus quaedam, quibus larga inest cogitandi dicendique materies. Nam nonnulla lectoribus nostris explicanda relinquere, quam copiosius omnia exponere maluimus.



PRAESES AVCTORI.

Quae Tu, Vir doctissime, de historiae litterarum studio scripsisti, ea mihi valde placuerunt, cum quoriam a Te scripta sunt, quem ob honestam indolem, ingenii alacritatem, aliasque virtutes amo, tum quia mihi praeclare de Te existimandi occasionem materiamque praebuerunt. Multo enim melius, quid in hac historia cognoscenda spectandum, quid evitandum sit, multis aliis tenere videris. Non continetur profecto huius historiae studium meris hominum librorumque indicibus aut talibus iudiciis, quae de quolibet libro non malo ferre licet: quam quidem praeclaram, si dds placet, scientiam nullo labore e Struio, Koebero, Hambergero, aliisque, quorum laudibus nil tamen detractum esse cupio hac mea animadversione, hauriri posse, quis nescit? Ipsius doctrinae, cuius historiam enarrare volumus, accurata cognitione opus est: philosophia opus est, qua duce causas inuestigare, cuiusque ad normam iudicia nostra dirigere debemus. Atque hanc rationem ego semper tenui in scholis, quibus artium et litterarum historiam exposui. Hanc quoque Tu in libello Tuo eleganter et docte commendasti, mihiq; adco et aliis non temere iniicisti spem, fore, ut olim utilissimam huic historiae parti, a multis neglectae, a multis, quod peius est, corruptae, operam praestes. Me quidem Vir doctissime, semper habebis fautorem laudum Tuarum, re, consilio, opera, Tuis commodis inseruire cupientem. Nam haec a me officia postulant eae, quas in Te cognoui, eximiae ingenii animique dotes. Ita Tu vale.

DOCTISSIMO OPITZIO

s.

G. B. SCHIRACH.

Quod a me petiisti amoris in TE mei et studii documentum, denegare non passa est amicitia, quam TECum, sponsoribus Homero atque Horatio, quibus a me explicatis sedulam nauasti operam, contraxi. Gratulor TIBI ex animi sententia de scriptione TVA eleganti, et docta, digna et TE et Praefide TVO, ad nouas vias in literis docendas terris donato, cuius cum iam honorifico iudicio ornatus sis, carere laude mea facile potes. Amoris vero recti in TE mei et finceri quaeuis expecta certissima pignora, quorum opto vt alia maiora in posterum exstent, in TE, quem amo vt qui verissime, cuique laeta apprecor, vt qui maxime; plura non addens: nam vt qui que magis est candidus, ita minus offert verborum. Vale et me porro ama.

V I R O

PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO

CHRISTIANO OPITZ

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. G. ZIERLEIN

S. D. P.

Quod haec a me in TVO libello conscripta appareat epistola, neque TVO rogatu factum est, neque consuetudine, sed quoniam, qui, quoties de TVIS virtutibus cogitem, meus sit sensus, concupisco exprimere. Magni animi est semper ea vis atque natura, vt plebem suae aetatis spernat, extra cancellos eius egrediatur, atque illa ascendat. Virtutis via, quae satis horrida est, difficultatibusque obstructa, eius ardore et studio fit planissima et sic sensim maxima quaeque assequitur. Quae quidem omnia, si quem quaerere vellem, TVI aequalem, in quem melius prater TE cadere possent, cuiusque maiori cum splendore propriae esse viderentur, scirem sane neminem. Tuis negotiis nisi ipse interesset, et quid moliretis et quomodo, conspicerem, in hoc fartasse aliorum testimonio fretus, an vera dixissem, nec ne, forem incertus. Sed non est ita. Praeterea Tua virtus, quam suo satis splendet lumine, luminis alieni non eget splendore. Quod reliquum est, tibi persuadeas, mihi nihil iucundius accidere potuisse, nil acceptius, quam quod in te tanquam amico conquiescere potuerim, teque amare. Vale ac me ama. Halae d. 2. Ian. MDCCLXIX.


ULB Halle 3
001 516 159




56

WIP







1769 74 25

DE
VERA INDOLE
HISTORIAE LITTERARIAE
DISSERTATIO.

QVAM
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO

A. D. III. IANVAR. MDCCLXIX.

PVBLICE DEFENDET
CHRISTIANVS OPITZ
SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS CVRTIANIS.

